

ARTICULI DIAETALES.

FERDINANDI I. IMP. AUSTRI. & REG. HUNG. V. DECRETUM III. ANNI 1844.

ARTICULI DIAETALES.

Articulus II.

*De lingua et nationalitate hungarica.*

§. 3. Lingua diaetalis in posterum exclusive hungarica erit; unice Ablegatis Regnum adnexorum admissis: ut si in lingua hungarica versati non essent, in Comitiis, intra proximum sexennium asservandis, suffragia sua lingua etiam latina depromere valeant.

§. 7. Jurisdictiones Partium adnexarum litteras Jurisdictionum Regni Hungariae hungarica, — hae vero illarum latina etiam lingua exaratas, prompte acceptare, pertractare atque congruo responso superare tenebuntur.

§. 8. Sua Majestas Sacratissima jam benigne disposuit, ut lingua hungarica in Academia et cunctis Gymnasiis Partium adnexarum, qua studium ordinarium doceatur; non secus

§. 9. Sua Majestas eatenus quoque clementer providere dignabatur, ut in scholis, intra fines Regni existentibus, lingua vehicularis institutionis publicae hungarica sit.

Articulus V.

*De ignobilium quoque ad cuncta Officia pubblica applicabilitate.*

In Regno Hungariae Partibusque adnexis natis vel Indigenatum consequitis, cuiuscunq; lege receptae Religionis incolis, in quibusvis Officiis publicis, seu denominatione haec, seu electione conferantur, adeundis, id, quod ad coetum nobilium non pertineant, impedimento esse non potest.

Articulus VI.

*De nonnullis Codicis Cambio-Mercantilis Articulo 15. anni 1840 comprehensi paragraphis clarificatis et respective modificatis.*

§. 9. Ad punctum h), §. 2. Partis II. additur:

„Civitates et Portus Segniensis ac Carlopagensis, totum item maritimum Regiminis Confiniarii Ottochani littorale, una cum locis maritimis Jablanacz et Gyurgyevacz.“